

1613

nestere. Ille, vel quod parum in Mantuanum propensus esset, vel quod Sabaudi offendam vereretur, inanibus verborum ambagibus tempus terere. Neque vero Carolus, ut aliqua ratione, modo suo compendio controversiis finis imponeatur, id abhorrire visus fuerat, cum insueto exemplo, atque ab illius animo sublimi alieno, Victorium Principem Mediolanum misisset; qui cum viginti dierum spatium, quo in Hispaniam proficiisci, Regemque de rerum statu docere posset, petiisset, neque a Mendoza impetraret, eo adducebatur, ut Princeps puella Mediolanum, quo Taurino mater accederet, mitteretur: ipse interim gubernator in se omnia Allobrogum jura atque oppida controversa reciperet. Sed Mendoza, ni adempta primum restituantur, se quidquam acturum negare; Italis Principibus eo facto suspiciones injicere nolle; a Carolo oppidis Mantuano non restitutis, quamprimum in aciem egressurum, armisque coacturum. Itaque re infecta Princeps in Hispaniam citatis itineribus profectus est, ut, quibus permotus pater Mantuani oppida in suam potestatem redigisset, Philippo exponeret, suamque apud avunculum causam tueretur.

Interea Carolus, cum de Senatus consulto, quo Cardinali auxilia decreta fuerant, certior esset factus, mirum in modum excanduit, acriterque cum Vincentio Gassonio, Reipublicæ legato, est conquestus: *Numquam sibi in animum inducere potuisse, Senatum veteri amicitia, benevolentia, officiis cum Allobrogum familia junctum, in causa, quæ nihil ad eum pertineat, suis hostibus favere voluisse: non id Patris majorumque in Rempublicam observantiam, non vetusta necessitudinis jura, non arduis in rebus difficillimis temporibus nata tam Reipublicæ operam promerita. Inde gravius commotus, Injuriam minime inultam passurum; tantum sibi spiritus, tantum virium esse, ut & suis rebus prospicere, & aliorum repellere contumelias possit; neque se ulla vi cogi passurum: si ea mente Senatus sit, ut Mantuanum juvare, neque consultum rescindere velit, jam frustra apud se legati munere fungi: octo proinde dierum spatium largiri, quo tempore de Senatus sententia certior fiat: gravius sane in illum statuere posse; attamen ne penitus veteris amicitiae obliviscatur, temperare vo-*

H. Mauroceni T. III.

K k

luis-

*Victorius  
Sabaudie  
Princ. in  
Hispaniam  
profici-  
tur.*

*Sabaudie  
Ducis ob  
Venetorum  
ad Mantua-  
num subse-  
dia pertur-  
atio.*